non postulastis. Litigatis inquit et belligeratis
propter temporalem gloriam neque hanc obtinere
valetis propter hoc nimirum quia dominum postulare
non curastis ut ipse vobis salutaria queque conferret.
Petitis et non accipitis eo quod male petatis ut in
concupiscentiis vestris insumatis. Predixerat
eos postulare et non dicit eos male petere. Quia quisque
male petit tamen non in conspectu interni testis nihil
petere videtur. Male petit qui domini iussa contempnens
a domino beneficia superna desiderat. Male petit
et ille qui amisso amore supernorum infima tantum
querit bona percipere et hec non ad sustentationem
humane fragilitatis sed ad redundantiam
libere voluptatis. Hoc est enim quod ait ut
in concupiscentiis vestris insumatis. Adulteri
nescitis quia amicitia huius mundi inimica est deo.